



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

Cap. 15. Circa Irregularitatis effectus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

seguationem, nisi ea lex fuerit i sufficiens promulgata: at sic dubitanti lex irregularitatis non est sufficienter promulgata, siquidem ei non constat in iure expressam non esse. Porro in dubio facti homicidij, an scilicet homicidium quis perpetraverit sua actione, consilio, vel favore, debet se irregularem indicare, & ut talis in foro externo habendus non absolute, sed quoad effectum abstinendi à celebratione, querendique dispensationem. Quia textus in *Cap. Ad audientiam. & Cap. Significasti. & Cap. penultim. de homicid.* expresse decidunt, in dubio facti homicidij obligationem esse à celebratione abstinere, & sic dubitantiem tanquam irregularem esse habendum. Quod supra dicti textus statuunt non tanquam ex consilio, ut prima sententia præcedit: sed tanquam ex obligatione, ut expendenti textus manifestum erit. Circa primam meam conclusionis partem de dubio iuris patronos habeo Sayrum *libr. 6. thesaur. capit. 2. num. 15.* Molinam *tractat. 3. disputation. 67. num. 5.* Sancium *libr. 1. Decalog. capit. 10. num. 42.* Suarium *disputation. 40. section. 5. numer. 4.* Coninchum *disputation. 18. numer. 11.* Circa secundam vero de dubio facti homicidij Navarrum *Cap. Si quis autem, de poenit. numer. 35.* Azorium *tom. 1. libr. 2. capit. 19. question. 10.* Salas *1. 2. question. 21. tractat. 8. d. unic. section. 19. numer. 170.* Couar. viam ad *Clement. Si furiosus part. 1. numer. 3. & alios.*

DUBIUM VI.

*Non solum in dubio facti homicidij, sed
& in omnibus materijs dubijs fa-
cti debetne se irregularem
reputare?*

96
Status qua-
sionis.

Dixi Dubio proximo, in dubio facti homicidij debere quem se irregularem iudicare, & ut talem in foro externo habendum quoad effectum abstinendi à celebratione, & dispensationem requirendi. Quæsierim vero, an idem censendum sit de dubio aliorum delictorum, ita ut debeat quis in omnibus si dubius sic se irregularem reputare?

97
Debet in
omnibus.

Debet in omnibus. Quia Pontifex in dubio facti homicidij quemlibet reputandum irregularem ait, illo in principio nitens: *In dubijs tutior pars est eligenda.* At hoc principium æque in omnibus alijs materijs procedit, ac in homicidio. Certe Pontifex non videtur novum ius condere, sed quod æquitati conforme est, declarare: declarat autem, in dubijs tutiorem partem esse eligendam: ergo in omnibus materijs eligenda est. Sic Panormit. ad *Cap. Ad audientiam, de homicid. num. 2.* Sylvest. verbo *Dubium, question. 4. numer. 7.* Angel. ibi, numer. 2. Tabien. *question. 2. numer. 3.* Valquez *1. 2. quest. 19. articulo. 6. disputation. 65. capit. 3. & disputat. 66. capit. 1.* Azorius *tom. 1. libr. 2. capit. 19. quest. 10.* Valentia *tom. 4. disputation. 7. question. 19. punct. 2. notab. 3.* Hurtado de irregul. *diffic. 4. sine. Rebelle. de iustit. part. 2. lib. 1. question. 3. section. 2. num. 13.*

Non debet in omnibus irregularis censeri, sed solum in dubio homicidij. Quia in *Cap. In Non ideo* cui, de *sententia excommunicationis*, deciditur, in omni non contrahi irregularitatem nisi in casibus à iure expressis: at in iure expressum non est, in dubio facti vltra casum homicidij irregularitatem incurri. Ergo asserenda non est. Profecto in calu dubio nemo tenetur se sua libertate privare, nisi lege aliqua ad hanc privationem sustinendam cogatur: nulla adest lex prius libertate suscipiendi Ordines nisi in calu homicidij: ergo extra illum casum poterit Ordines suscipere. Ita Navarr. ad *Cap. Si quis autem, numer. 41.* Suarius *disputation. 40. section. 6. num. 8. & 13.* Salas *1. 2. tractat. 8. d. unic. section. 18. dub. 2. numer. 22.* Auila *part. 7. disputation. 2. dubio 5. conclusion. 2.* Bonacin. *tom. 1. disputat. 7. punct. 5. numer. 2.*

Licet sententia prima admodum sit probabilis, existimo probabiliorem adhuc esse se. Hæc p. cundam. Quia esto Pontifex ad statuendam irregularem in dubio homicidij illi principio: *In dubijs tutior pars est eligenda*, nitatur, non nititur illi tanquam principio, quod necessario sit observandum: sed tanquam principio, quod observari maxime decet. Et licet hoc principium commune sit omnibus alijs materijs, in quibus concilium prudentissimum est, tutiorem partem sequi: quia tamen in irregularitate homicidij efficacius procedit propter indecentiam specialem, quam secum affert homicidium in Clericis: ea de causa disposuit Pontifex, ut in dubio homicidij quis censetur irregularis, quam dispositionem ad alias materias non extendit.

CAPVT XV.

Circa Irregularitatis Effectus.

DUBIUM VII.

Irregulari prohibita est prima tonsura receptio?



Non est prohibita. Quia prima tonsura non est propriè, & in rigore Ordo, sed ad Ordines suscipiendos dispositio: at irregularitas Canonicum impedimentum est Ordinis suscipiendi, ut ex eius definitione constat. Sic nonnulli Doctores, quos pressio namine, memorat Palao de *Censur. disp. 6. punct. 5. numer. 2.*

Prohibita quidem est. Quia irregularitas tendit ad constituendum irregularem extra Clericorum statum, & regulam, qui est effectus susceptioni primæ tonsuræ oppositus, quæ tonsuratum in statum Clericorum adaptat. Ita Navarr. *tom. 1. conf. 24. de tempor. ordin. num. 1. & 3.* Suarius *disputation. 40. section. 1. numer. 11.*

Sect. II. De Interdicto, Dubia. 337

mer. 1. Palao cit. tit. Sayrus lib. 6. thesaur. cap. 1. num. 19. Garcia de benefic. part. 7. cap. 12. num. 30. Bonacin tom. 1. disputat. 7. punct. 1. numer. 4. Auila parie septima, disputat. secunda, dubio sexto; Filiucius tractatu decimo octauo, numero 39.

102 Hanc sententiam adeo certam esse crediderim, ut contrariam minime sustinendam esse affirmem. Nam esto prima tonsura proprie Ordo non sit, satis est, quod sub Ordine late sumpto comprehendatur. Cap. Cum contingat, de etat. & qualitat. ut inde colligatur, irregularitatem, quæ totius Ordinis susceptione priuat, tonsuræ susceptione priuare. Porro ex priuatione Ordinis suscipiendi inferitur primæ tonsuræ priuatio. Etenim prima tonsura est ad Ordines dispositio: qui ergo incapax est suscipiendi Ordines, inique eorum dispositionem suscipit. Et hæc de primo irregularitatis effectu, qui est priuatio Ordinis suscipiendilicite; nam validam receptionem nullatenus Ecclesia potest impedire, si de facto materia, forma, & Minister adsint à Christo Domino requisita.

DUBIUM VIII.

Validane est Beneficij collatio irregulari absolute facta?

103 **S**ecundus effectus irregularitatis est priuare irregularem beneficiorum consecutione. Nam cum irregularitas, si absoluta sit deiciat irregularem ab statu, ac Ordine Clericali: consequenter deiciat ab iis, quæ Clericalem Ordinem requirunt, & quæ illius sunt propria. Cap. 2. de Clerico pugnante in duello, & Trident. sess. 14. cap. 7. Dixi, si irregularitas absoluta sit, nam si sit partialis ordinato, superueniens non ex delicto, sed ex defectu, sicuti est irregularitas, quæ refertur in Cap. 2. de Clerico agrotante: validè, ac licite potest prædicto irregulari beneficium conferri, quod non requirat vltim illi defectui repugnantem. Valentia tom. 4. disputat. 7. question. 19. punct. 2. Sayrus lib. 6. thesaur. cap. 2. num. 13. & alij. Quæsierim vero, an collatio beneficij facta irregulari absolute, vel tali irregulari, qui functiones beneficij exercere licite non potest valida sit?

104 **V**alida non est. Quia irregularis exclusus est ab Ordine, eiusque exercitio: ergo exclusus est à beneficio, quod Ordinem necessario requirit. Etenim inhabilis ad vnum inhabilis censeri debet ad omnia, quæ ex eo vno consequuntur. Argument. Cap. Translatio, de consuet. iuncta Gloss. ad c. Studeat. verbo Vtale beneficium 10. diffinit. Sic Nauarr. summ. c. 15. numer. 134. & c. 27. numer. 249. Covarrubias ad c. Alina. part. 1. §. 7. numer. 1. Henriquez libr. 14. c. 2. numer. 5. Bonacina tom. 1. disputat. 7. punct. 4. numer. 6. Auila part. 7. disputat. 2. dub. 6. conclusion. 3. Suarius disputat. 40. section. 2. numero 30. Sayrus libr. 6. thesaur. capit. 2. numero 12.

105 **V**alida est. Quia irregularitati non sunt tribuendi plures effectus, nec plures pœnæ assignandæ, quam sunt in iure expressæ. At in iure nullus est textus exprimens, collationem beneficij irregulari factam irritam esse, sed ad summum illicitam. Nam c. Cum bone, de etat. & qualitat. non loquitur de irregulari, sed suspensio per triennium in Censura perseverante. c. Posulastis 7. de Cleric. excommunicat. ministr. de ligato excommunicatione loquitur, non de irregulari. Cap. final. eodem titulo, loquitur de excommunicatione minori innodato. Ita Syluester verbo Excommunicatio 4. numer. 4. Inclinat Felin. ad cap. Inquisitionis, num. 6. & 8. Probabile reputat. Suarius ubi supra. Coninch. disputat. 18. dub. 1. numer. 4. Layman. libr. 1. tractat. 5. part. 3. cap. 1. num. 2. & 3. Hurtado de irregularitat. difficultate quinta, numero vigesimo.

106 **H**anc eligo sententiam. Quia ratio, quæ prima nititur, solum probat, illicitam esse collationem, & irritandam venire: at irritam esse, & nullam inde non conuincitur. Quemadmodum ex eo, quod in Cap. ultim. de Cleric. excommunic. ministr. dictum sit, minori excommunicatione innodatum eligi non posse: non efficitur, electionem fore irritam, si de facto fiat, sed solum esse illicitam: sic ex eo quod irregularis exclusus sit ab ordine suscipiendo, & illius exercitio: solum conuincitur, exclusum esse à susceptione beneficij licita, non tamen à susceptione beneficij valida: sicut non excluditur à valida Ordinum susceptione: maxime cum irregularis possit procurare dispensationem, & interim beneficio per alium delevire, eiusque muneribus satisfacere.

DUBIUM IX.

Irregularitas priuatne Beneficij rite acquisitis iure?

107 **P**riuatur quidem, Quia cum irregularis incapax sit plerumque exercendi officium, ratione cuius beneficium conceditur: videtur obligatus beneficium amittere, siquidem eius obligationi haud potest satisfacere. Et quia Tridentinum sess. 14. c. 7. loquens specialiter de irregularitate homicidii voluntarii, fatur: Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, omni Ordine, Beneficio, & Officio Ecclesiastico perpetuo careat. Sed caret Ordine ipso iure, & absque sententia condemnatoria: ergo etiam carere debet Beneficio, & Officio. Sic nonnulli Doctores, quos tacito nomine citat Palao de Censur. disputat. sexta, puncto quinto, numero nono. & Maiol. libro quinto, de irregularitat. capite quadragesimo octauo, Paragrapho quarto, numero primo, asserit (ponderans Tridentini verba) post Concilium irregularitatem homicidii voluntariis beneficiis obtentis priuare?

108 **N**on priuat. Quia in c. Clerici, ne Clerici, vel Monachi, & c. Fraternitati, de Cleric. excomm. vel

Non priuat. vel deposita & Cap. Postulatus, §. Quasi sit, & c. Ex litteris de excessibus Prelatorum. requiritur officium Iudicis ad beneficiorum priuationem. Necesse vllus textus hanc poenam ipso iure indicens. Ita Nauarr. summ. c. 27. num. 249. Henriquez libr. 14. c. 2. num. 5. Valentia tom. 4. disp. 7. quest. 19. punct. 2. Sayr. lib. 6. thesaur. cap. 2. num. 21. Suarius disputat. 40. sectio. 2. numer. 15. Auila part. 7. disputat. 2. dub. 6. conclusio. 4. Coninch. disputat. 18. numer. 5. Layman. libr. 1. tractat. 5. part. 5. capit. 1. numer. 1. corollar. 3. Hurtado de irregularitat. difficultate 5. fine.

¹⁰⁹ Communem hanc sententiam amplector videns, nullum esse textum, qui hanc poenam ipso iure indicat. Nam esto in c. 1. de homicid. in 6. priuatur a Massinus beneficio ipso iure, & in c. Cum secundum leges, de haer. in 6. priuatur haereticus, & in c. Si quis Episcopus, 1. questio. 1. Simoniacus: at non prouenit haec priuatio ratione irregularitatis, sed ex delicto qualificato, & taliter perpetrato. In quibus casibus etsi priuatio beneficiorum sit ipso iure lata: non tamen tenetur quis se beneficiis spoliare, quovis accedat sententia saltem declaratoria criminis. Aduertit Conar. libr. 4. Decretal. part. 2. c. 6. §. 8. num. 7. & Suarius aliis relatis, disputat. 40. quadragesima, sessione secunda, numero decimo septimo.

DVBIVM X.

Potestne irregularis, antequam per sententiam condemnatur conficius, beneficium esse ab alio impetratum, id in alterius fauorem renunciare?

¹¹⁰ Nonnulla praeiudicium. Irregularitate illigatus ex delicto, si nolit, vel non possit dispensationem impetrare: potest renunciare beneficium in fauorem tertij, ac si nullam irregularitatem contraxisset, etiam pendente lite, & accusatione facta de irregularitate. Quia vsque quo accedat sententia, & condemnatur, retinet ius in beneficium. Suarius disputat. 40. sessio. 2. numer. 1. Sayrus libr. 6. thesaur. capit. 2. numer. 14. Felinus ad Cap. Inquisitionis, col. 3. Dubito autem, an si, durante accusatione irregularitatis, impetret aliquis beneficium irregularis casu, quo per sententiam priuatur, possit irregularis conficius huius impetrationis, beneficium in fauorem alterius, vel absolute, antequam per sententiam condemnatur, renunciare?

¹¹¹ Non potest. Non potest. Quia haec renunciatio cederet in praerudicium eius, cui est ius per gratiam quaesitum: & in fraudem illius, qui gratiam obtinuit. Ergo nulla ex c. Si te praebendam, de renunciat. in 6. Sic Dominic. conf. 105. Anton. de Butrio conf. 43.

¹¹² Potest plane. Potest plane. Quia in hoc nullam committit fraudem, siquidem vitur iure suo, & id gerit, ut sibi consulat, non ut noceat impetranti. Ita Couarruias plures referens ad Clement. Si furiosus, part. 2. Paragraph. 3. num. 7. Molina

tractatu tertio, de iustit. disputat. 78. numer. 2. Ludouic. Gomez Reg. de annali possess. questio. ne 42.

Existimo probabilius, posse praefatum irregularem, non obstante ea impetratione, suam praebendam renunciare. Impetrans namque non habet ius quaesitum absolute, sed conditionale, & incertum, hoc est, sub conditione si per sententiam irregularis ille priuatur: cuius bene potest derogari per renunciationem. Profecto secus contingit in Cap. Si te praebendam, ibi enim continetur fraus manifesta, ut legenti patebit.

CAPVT XVI.

Circa causas excusantes ab Irregularitate incurrenda, eiusque relaxationem.

DVBIVM XI.

Si quis ignoret, lege Ecclesiastica specialiter prohibitum esse delictum sub Irregularitatis poena: excusaturne ab illius incurfione?



Errum est, quemlibet excusari ab irregularitate delicto annexa, si a delicto mortali excusatur. Quia cum haec sit grauissima poena, peccatum mortale ad sui requirit incurfionem. Quastio autem est, si quis ignoret, lege Ecclesiastica specialiter prohibitum esse delictum, cui irregularitas annexa, ab illius incurfione excusetur?

Non excusatur. Quia irregularitas non ta in delicti poenam, quam ob indecentiam Ecclesiastici status indicitur, cui decentie obstat delictum, verbi gratia, homicidij, etsi ignoretur, lege Ecclesiastica sub irregularitatis poena esse prohibitum. Sic Doctores admodum probabiliter.

Excusatur equidem. Quia Cap. 2. de constitutionib. in 6. deciditur non ligari constitutionibus Ordinarium illas ignorantes: hoc est, non ligari quoad poenam incurrendam: aequum enim non est aequali poena puniri transgresso, rem legis ex ignorantia, ac ex malitia: siquidem ignorantia a culpabili transgressione legis excusat. Quae decisio a fortiori in legibus Pontificiis procedit. Ita Palao tractatu secundo, de peccatis, disputat. prima, puncto decimo septimo, plures referens Coninch. disputat. decima octaua, dubio quarto, conclusio prima.

Hanc sententiam non minus probabilem eligo.